









18  
*QVOD DEVS BENE VERTAT.*

---

RECTORE VNIVERSITATIS  
TVBINGENSIS  
*MAGNIFICENTISSIMO,*  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO  
**CAROLO CHRISTIANO**  
**ERDMANNO,**  
DVCE WIRTEMBERGIÆ, TECCIÆ, OELSNÆ  
ET BERNSTADII, CET.

---

IN  
BENEDICTI SPINOSÆ  
**METHODVM EXPLICANDI**  
**SCRIPTVRAS SACRAS**  
BREVIBVS NOTIS  
ANIMADVERTIT

---

COMMENTATIONEMQVE ISTAM  
DIE XXIII. SĒPT. A. MDCCXXXII. H. L. Q. C.

AD  
DISPVTANDVM PROPOSVIT  
**GEORGIVS BERNH. BILFINGER**  
SS. THEOL. PROF. ORD.  
RESPONDENTE

**PAVLO PINTZGER,** CASSOVIO HVNGARO,  
SS. THEOL. CVLTORE.

---

*RECUSA*  
JENÆ, LITTERIS BVCHIANIS.  
M DCC XXXIX.









## PRÆFATIO.

THETICA

*Secessum Scribentis & otia possunt.*

Neutrum habeo, dum de Argumento me compellat Vir Clarissimus, quod exercitio possit exponere disputatorio. Quid ergo? Etsi utilissimum præ ceteris illud scribendi genus iudicem, quod Theticum appellamus: Hac tamen vice Polemicum non tam eligo, quam admitto. Scilicet hoc facile est, atque omnino tale, ut eo defungi sine multo labore, nec tamen sine usu possis.

Promisi non ita pridem, quod de usu Rationis in oraculorum divinorum interpretatione adversus Spinozam ex instituto velim disserere. \* Non abjicio id consilium, sed involvo generaliori. Puto enim præstare, ut integram Viri methodum, qua sacras jubet exponere scripturas, brevi commentatione explicem.

Videamus omnem Viri machinam, sed in epitome. Animadvertamus in eandem, ex rei necessitate, & pro scopo nostro. Denique, si quid illa boni continet, transferamus eo, quo pertinet.

Scribimus ista, ut fidem testemur nostram, & firmemus Lectorum: Hoc est, in honorem DEI & hominum utilitates. Faxit DEVS, ut consilium eventus expleat!

A 2

EPITO-

\* In Dissert. mea, de Natura & Legibus Studii in Theol. Thetici §. 3. p. 12.



EPITOME  
 DICTORVM SPINOZÆ  
 DE  
 METHODO INTERPRETANDI  
 SCRIPTVRAS SACRAS.



Quo patitur locus, ut integrum exscribere *Caput VII. Tractatus Theologico-Político* instituiam. Neque id vel rei momentum, vel Libri raritas (a) exposcit. Sufficiet dedisse præcipua ejus capituli lemmata, & in illa dixisse sententiam. Servabo *verba Autoris*, ut potero; omiſſis, quæ novum hac in caussa momentum trahere non existimo. Sic ille:

1. Omnibus in ore quidem est, sacram scripturam verbum esse DEI, quod homines veram beatitudinem, vel salutis viam docet: Verum reipsa aliud plane judicant; *Vulgus* enim nihil minus curare videtur, quam ex documentis SSæ.

ANIMADVERSIONES EXTEMPORALES.

(a) Quo scilicet ne careas, præter *Latinam* editionem de Anno 1670. etiam *Gallicæ* versus est, & *triplici* sub nomine in publicum protrusus. Nunc enim *Clavis Sanctuarii* audit: *La Clef du Sanctuaire par un savant homme de notre siècle*: Nunc de superstitionibus Judæorum, *Des Ceremonies superstitieuses des Juifs*: Nunc de rebus ad salutem pertinentibus *Meditationes: Reflexions Curieuses d'un Esprit desinteressé sur les matieres les plus importantes au salut*. Est eadem tamen editio, quæ annum præfert 1678. Cui vero, ut novam putes, Anno superiori 1731. additæ sunt *vita Spinozæ* per Jo. Colerum scripta, & *refutationes* variorum, *Comitis Boullainvillierii*, *Archi-Episcopi Fenelonii*, *Patris Lamii*, & *Isaaci Orobii Medici Amstelodamensis*.



SSæ vivere, & omnes fere sua commenta pro DEI verbo (b) venditare videmus, nec aliud studere, quam sub pretextu religionis ceteros cogere, ut secum sentiant. - - - Ambitio & scelus tantum potuerunt, ut religio non tam in obtemperandis Spiritus S. documentis, quam in defendendis hominum commentis sita sit - - (c).

2. Ad hæc mala accessit superstitio, quæ homines rationem & naturam contemnere docet, & id tantum admirari & venerari, quod huic utrique repugnat: quare non mirum est, quod homines, ut scripturam magis admirentur

A 3

(b) Triste fatum! homines Spinozæ similes exprobrant Ecclesiæ peccata in Scripturam Sacram commissa; neque licet negare omnia. Nolim inficiari commenta hominum obtrudi pro DEI verbo: videas enim contrarias de eodem argumento sententias, tanquam ex Scripturis haustas, lege sanciti. Peccatur itaque aut intra Ilium, aut extra illud. Sed an ubique peccatur? An Omnes fere sua sic commenta venditant? id nondum sequitur. Eatur in rem præsentem. Non licet exprobrationem vagam certo accommodare subiecto, nisi errata ejus per specimina evideris. Scil. hæc illa palestra est, in qua veritas & conscientia adversarios expectant suos.

(c) Nescio, an non idem dicat, sed alio tamen consilio Vir Eruditus, qui in *Memoiris ad Theologicam & Moralia pertinentibus (Memoires concernant la Theologie & la Morale Amsterdam. 1732.)* peculiari Epistola ad Ministrum Verbi Divini scripta eidem operose dissuadet, ne sacras eo scopo paginas legat, ut de illarum sensu per seipsum judicet. Esse id opus plenum difficultatibus, plenum quoque periculis. Quid enim? si dissentiat ipse ab recepta interpretatione: Taceat contra stimulos conscientie? an se suosque exponat carceri & sine fine vexationibus? Crederes hæc tela esse adversus Scripturam: nisi & Epilogus & inscriptio doceret, dici ista in hæretico-mastiges, qui nimio utique visco antiquis adherent; nullamque vel in hermeneuticis libertatem nostro relinquunt seculo, usque adeo, ut sevant in dissentientes. Conf. l. c. p. 344. & 389.



tur & venerentur, eam ita explicare studeant, ut his, rationi scilicet & naturæ, quam maxime repugnare videatur; (d) ideo-

(d) Superstitionis est vel attributa DEO indigna affingere, vel ex veris deducere consecraria principis suis contraria. Indefinit, ut sæpe rationem contemnat & naturam; ut etiam veneretur, quæ utrique repugnant: Potest etiam fieri, ut ejusmodi adfectus influat in Scripturæ S. interpretationem. Nihil hæctenus improbo, nisi locutionem indefinitam; homines appellat Spinoza sine addito; an igitur omnes vel plerosque pungit? an paucos tantum reprehendit? Propositiones indefinitæ æquipollent universalibus, cum ratio affirmationis vel negationis est aut in natura subiecti, aut in aliqua ejus affectione constanti: si in accidentalibus constitutione, si in circumstantiis externis &c. continetur ea ratio; propositio ipsa particularis censetur. Esto igitur: Admittamus, dari homines, qui fingant absurda, & qui Scripturæ illa obrudant. Quid inde sequitur? An ideo nulla dantur mysteria?

Sic ille subinnuit. Namque hunc scopum esse, aliunde constat. Videamus, an recte? Largiamur propositionibus superioribus universalitatem, quam nullam habent. Dicamus: 1) Omnes homines sunt superstitioni. 2) Omnes superstitioni venerantur, quæ rationi & naturæ repugnant: 3) Omnes, qui contraria rationi venerantur, scripturam student explicare, ut etiam ipsa rationi & naturæ repugnet: 4) Omnes, qui scripturam sic explicant, mysteria ibi profundissima latere somniant: 5) Omnes, qui mysteria in scripturis comprehendi putant, in illis investigandis defatigantur: 6) Omnes, qui absurda ejusmodi e scripturis extorquent, Spiritui S. affingunt deliria sua, & affectum impetu defendunt.

Quid concessis hæc omnibus sequitur? Ergone omnia mysteria sunt deliramenta adfectuum? Nihil minus. Hoc sequitur: E. omnes homines habent quædam phantasæ suæ opera, quæ pro mysteriis venditant, & adfectuum impetu defendunt.

Si quis simili ratiocinio inferret, omnes homines habere quædam philantropiæ suæ opera, quæ pro virtutibus venditent,



ideoque in sacris litteris profundissima mysteria latere somniant, & in iis, hoc est, in absurdis investigandis, ceteris utilibus neglectis, defatigantur, & quidquid sic delirando fingunt, id omne spiritui sancto tribuunt, & summa vi atque affectuum impetu defendere conantur. Ita enim cum hominibus comparatum est, ut, quidquid puro intellectu concipiunt, solo intellectu & ratione: Quidquid contra ex animi affectibus opinantur, iisdem etiam defendant.

3 Vt autem ab his turbis extricemur, & mentem à præjudiciis Theologicis (e) liberemus, nobis de vera methodo scripturam interpretandi agendum est, & de eadem differendum; hac enim ignorata, nihil certo scire possumus, quid scriptura, quidve spiritus S. docere vult? (f)

4. Eam

& adfectuum applausu excipiant: Credo, id facilius posse fieri; immo factum esse ab Scriptoribus non nullis. Sed an inde sequitur: E. omnes virtutes sunt philantix & adfectuum exanthemata? Absit ut Philosopho sic imponas. Tum vero: quis tibi primam in suo ambitu propositionem rhetice largietur? Secundam dabo. Tertiam nego necessariam esse. Potest superstitionem suam alio, quam ad scripturæ interpretationem deflectere, neque necessum est, ut in omni facto suo eandem exerat constanter operosam. Quartam penitus abnuo; supponit mysteria esse contraria rationi. Talia & nos absurda dicimus, sed mysteria, quæ veneramur, transcendunt rationem, non evertunt. Jam vide, quid adferas: omnes, qui scripturam sic explicant, ut rationi repugnet, illi dogmata ex Scriptoris discunt, quæ, etsi supra rationem sint, non tamen sunt contra rationem. Scilicet hoc est: Omnes, qui nigrum ex Scriptura hauriunt, illi album hauriunt. Nolo plura.

- (e) Dic: Pseudo-Theologicis, & adde: Pseudo-Philosophicis, aut Tuo verbo: Theologico Politicis. Talia sunt prima Tractatus Theologico-Politicus Capita, de prophetiis, de miraculis &c.
- (f) Videtur hoc nimium liberaliter dici. Nondum de applicatione loquor, & quousque hoc elogium pertineat ad Methodum Spinozæ. Sit optima. Id unum moneo, nolis hæc inter-



4. Eam autem ut hic paucis complectar dico, methodum interpretandi Scripturam haud differre à methodo interpretandi Naturam, sed cum ea prorsus convenire. (g) Nam sicuti methodus interpretandi Naturam in hoc potissimum consistit, in concinnanda scilicet Historia Naturæ, ex qua, utpote ex certis datis, rerum naturalium definitiones concludimus: Sic etiam ad Scripturam interpretandam *neesse est* (h) ejus sinceram historiam adornare, & ex ea, tanquam ex certis datis & principiis, mentem Autorum Scripturæ legitimis consequentiis concludere.

## 5. Sic

pretari, quasi sine distincta & systematica methodi cognitione *nihil* certo sciri possit! Annon ipse Spinoza dicitur, documenta moralia esse clarissima omnibus hominibus: nec tamen omnes methodum Spinozæ norunt. Itaque breviter sictene: sine applicatione methodi vel universaliter bonæ, vel in præsentis argumento congruæ, nihil certo sciri in hermenevticis. Sed adde: multos applicare methodum, quos si Spinoza examinaret, crederet ignorare methodum. Quinam illi? qui claram solum, non distinctam methodi notitiam possident. Illi possunt uti methodo: nec possunt illam enarrare aliis. Animadverto autem isthæc, ne sententia nimium extensa illis patrocinetur, qui Scripturam e Lajcis extorquent manibus.

(g) Duo hic coincidunt: *Absolutum & Relatum*. Animus est de illo agere solo, hac quidem vice. Constitui examinare regulas interpretandi Scripturam Sacram Spinozianas. Abstraho mentem ab comparatione ejus cum interpretatione Naturæ. Potest hoc singulari argumentum præbere dissertationi. Ejus erit examinare, quanam sit methodus examinandi naturam vera? Et quousque ad Scripturæ explicationem transferri possit? Utrumque prolixius est, quam ut hoc loco queat in transitu perfici. Relinquo id aliis, aut scriptoribus aut temporibus.

(h) *Quin utile sit* sinceram Scripturæ historiam adornare, dubitari non potest. Quod vero etiam *neesse sit*, id neque discursus Spinozæ sequens comprobatur, neque convinci aliunde potest. Infert hoc essentialem scripto imperfectio-



5. Sic unusquisque --- sine ullo periculo errandi semper procedet, & de iis, quæ nostrum captum superant, æque secure differere poterit, ac de iis, quæ lumine naturali cognoscimus (i)

6. Sed ut clare constet, hanc viam non tantum certam sed & unicam esse, eamque cum methodo interpretandi Naturam convenire, notandum, quod scriptura de rebus sæpissime agit, quæ ex principis lumine naturali notis deduci nequeunt; ejus enim maximam partem historiae & revelationes componunt. (k)

B

7. At

nem, & majorem plane, quam de scriptore vel medio-criter sapiente supponi potest, si scriptum, non uni homini, sed omnibus, neque uni ævo, sed omnibus destinatum, intelligi sine ipsius & authorum historia non potest.

- (i) Verum est, qui mentem Scriptoris ex historia sincera consequentis concludit, ille nullis involvitur erroribus. Grandis hæc prærogativa est, si late extenditur. Et quidni extendatur, si res nostrum captum superantes æque secure nobis pandit atque ea, quæ lumine naturali cognoscimus. Sic audio dici: Sed duo sunt, quæ doleo. *Unum*, vocabula isthæc tenuius sonare in ore Spinozæ, quam nostro. Res nostrum captum superantes non sunt mysteria fidei: sed facta & dicta ex imaginatione, ut intellectui opponitur, prodeuntia. Quid ergo hic promittitur? Scilicet nos memorata methodo pervenire in notitiam eorum, quæ imaginatio Prophetarum vivacior & sæcundior eisdem representaverit. Magnum scilicet & cedro dignum opus! *Alicorum*, quod doleo, hoc est. Dux sunt Authori manus. Dextra, qua hic largitur; & sinistra, qua auferet. Vide hujus oper. §. 28, 29, 31, 32, 38.

- (k) Maximam Scripturæ partem historiae & revelationes componunt? Esto ita: etsi ambiguitas sit in vocabulo *maximam*; Spinozæ siquidem hæc pars est maxima mole, sed minima momentis v. §. 38. 39. Quid inde conficis? Ergo ex lumine naturali remoto libro cognosci ista non possunt; sed ex Scriptura peti sola debent v. §. 8. Recte inquam, si hoc solum agis. Sin etiam hoc postulas: Ergo ad illa intelligenda opus est historia linguæ & scriptorum? Non ubique, accedo



7. At historiae miracula potissimum continent, hoc est - -  
narrationes rerum insolitarum naturæ, opinionibus & judi-  
ciis historicorum, qui eas scripserunt, accommodatas. Re-  
velationes autem opinionibus etiam prophetarum accom-  
modatæ sunt - - & ipsæ revera captum humanum superant. (l)  
8. Quare

Tibi. Da linguæ noticiam, non summam illam, sed medio-  
crem; Dabo ego plerorumque interpretationes locorum, sine  
historia vel linguæ vel Authorum.

(l) Nimirum hoc argumentum est, cur intelligi Scriptura non pos-  
sit, sine Authorum notitia. Nihil sincere dicitur in Scriptura S.  
Sunt omnia ingenii, opinionibus & iudiciis five historicorum,  
five Prophetarum accommodata; Superant captum intellectus:  
Debent phantasia comprehendere sola, eademque in similitudi-  
nem phantasia prophetica transfusa. Hic ulcus jacet.

Nolo de miraculis ex insituto, nolo de prophetiis disputare ad-  
versus Spinozam, hoc quidem loco, quo non omnia agi-  
mus promiscue. Suffecerit vel verbo intercedere huic autui,  
& originem a DEO supernaturalem miraculis asserere & pro-  
phetiis.

Hoc dici debet: esse sub formula Authoris, quod concedi possit; esse,  
quod debeat negari. Nolim inficiari formulas loquendi haud  
paucas esse accommodatas, si non opinionibus, saltem (quod  
ego malim dicere) sermonibus, non præcisè Authorum, sed  
hominum in genere. Quando montes Job. XXV. 10. di-  
cuntur columnæ cæli: admitto accommodationem sermo-  
nis, non quidem ad opinionem scribentis, quia neminem  
credo existimasse, quod Cælum revera incumbat montibus:  
sed ad phænomenon, & primum oculi, non mentis, ictum.  
Alibi etiam hoc tribuo, Locutiones Scripturæ de rebus præ-  
fertim physicis accommodatas esse ad sermonem ordinarium,  
qui per se quidem indifferens est ad explicationem veram &  
falsam; cui ordinarie falsa jungitur interpretatio, sed qui ve-  
ram tamen non excludit, et si neque illam determinet. Si-  
militer accommodationem concedo sermonis prophetici ad  
captum hominum in eo, quod divina & spiritualia humano  
more & sub schematis sæpe corporeis exhibentur. Vnum non  
admitto, quod fundamenti loco Spinoza præstruit. Fingit  
e. g. „ quod prophetia five representationes pro *opinionibus*  
„ Prophetarum variaverint, & quod Prophetæ varias, immo



8. Quare cognitio horum omnium, hoc est, omnium fere rerum, quæ in Scriptura continentur, ab ipsa Scriptura sola peti debet: Sicuti cognitio naturæ ab ipsa natura. (m)

B 2

9. Quod

„contrarias habuerint opiniones & varia præjudicia. Loquitur autem circa res mere speculativas, nam circa ea, quæ „probitatem & bonos mores spectant, longe aliter ait sentientium. Inde vero etiam concludit, prophetiam nunquam „Prophetas doctiores reddidisse: Sed eos in suis præconceptionibus reliquisse; ac propterea nos iis circa res mere „speculativas minime teneri credere. vid. Tract. Theol.-Polit. „C. II. p. 21.

Atque ut accommodationem, quam respuo, in exemplo cognoscas, accipe verba Viri ex eodem Cap. II. p. 23.

Adamus, primus cui DEVS revelatus est, ignoravit, DEVM esse omnipotentem, & omniscium, se enim a DEO abscondidit & suum peccatum coram DEO, quasi hominem coram haberet, conatus est excusare: quare DEVS etiam ei ad ipsius captum revelatus fuit, nempe ut qui non ubique est, & ut inscius loci, & peccati Adam: audivit enim, aut visus est audire DEVM per hortum ambulantem, eumque vocantem, & quærentem ubi esset; deinde ex occasione ejus verecundiæ ipsum rogantem, num de arbore prohibita comederit? Adamus itaque nullum aliud DEI attributum novit, quam quod DEVS omnium rerum fuit opifex.

Scilicet hoc nego, profundam adeo DEI ignorantiam fuisse apud Prophetas: nego etiam DEVM accommodatis ad hanc ignorantiam revelationibus quasi cavisse, ne doctiores evaderent. Neque tanti sunt exempla per Spinozam allegata, ut utrumque hoc opprobrium demonstrent!

(m) Tantone opus est molimine ad sententiam comprobendam, quam sine argumentis plurimi dedissent. Vt conficias Scripturam ex Scriptura, & sola quidem illa explicandam esse, oportuit miracula transformare in res naturæ insolitas, & prophetias in phantasmata? Atqui concederemus Thesis, minoribus utique sumtibus: Si iustis illam limitibus circumscriberes. Notitia miraculorum & prophetiarum gestorumque omnium nonnisi historice ad nos pervenit; igitur haucienda ex libro illo historico, quo enarrantur; & solo qui-



9. Quod ad documenta moralia, quæ etiam in Bibliis continentur, attinet, etfi ipsa ex notionibus communibus demonstrari possunt, non potest tamen ex iisdem demonstrari, scripturam eadem docere, sed hoc ex sola ipsa scriptura constare potest. (n)

10. Immo, si sine præiudicio scripturæ divinitatem testari volumus, nobis ex eadem sola constare debet, ipsam  
vera

dem. Nemo potest ratiocinationibus ista attingere, sed neque imaginationibus.

Recte inquis ista, sed non sufficiunt. Spinoza non hoc tantum agit, ut Scripturæ soli vindicet ipsam miraculorum & Prophetiarum enarrationem, exclusa ratione ut principio cognoscendi: Postulat etiam hoc, ut explicatio hujus enarrationis ex sola fiat Scriptura, posthabitis materialibus rationis principiis, quæ fortassis ad veritatem rei indagandam conducere, sed ad mentem historicorum & Prophetarum investigandam nihil pertinent. Sic intelligo, quid velis, & quare Prophetas feceris usque adeo ignorantes rerum præne omnium. Defecit autem Spinoza in probationibus. Vide secundum Tractatus Theolog. Politici caput, expende argumenta ejus, & solve illorum pleraque sola hac distinctione, quod a modo exprimendi per symbola, ad modum cogitandi pueriliter crassum n. v. c. quod item inter ignorantiam plenam & cognitionem systematicam interjaceat rerum five moralium, five metaphysicarum thetica simul & practica cognitio.

(n) Recte infert Spinoza, sed non recte supponit. Si vera sunt, quæ §. 7. postulat, non potest ex ratione inferri, in Scripturis contineri hæc vel illa documenta moralia; vel quod idem est, documenta moralia in Scripturis contenta habere hunc vel illum sensum. Quid enim? Ex ratione cognosceas veritatem & justitiam horum documentorum: Atqui Spinoza distinguit veritatem rerum a mente Prophetarum. v. §. 17. & 31. Non igitur hæc ejus cautela de moralibus documentis obstringuntur, quicunque norunt & tenent, verum Scripturæ sensum a rerum veritate nunquam abcludere. Possimus moralia Scripturæ documenta interpretari pro illorum cum recta ratione concordia.



vera documenta moralia docere; ex hoc enim solo ejus divinitas demonstrari potest, - - - Scripturæ divinitas ex hoc solo constare debet, quod ipsa veram virtutem doceat. Atqui hoc ex sola scriptura constare potest. Quod si non posset fieri, non sine magno præjudicio eandem amplecteremur, & de ejus divinitate testaremur. (o)

B 3

II. To-

(o) Recte, inquam, infert Spinoza, sed non recte supponit. Nemo divinitatem Scripturæ ex sola documentorum moralium veritate intelligi. Si tamen id ita se haberet, recte hinc efficeretur, eorum sensus ex sola Scriptura, & illius historia, nequaquam ex collatione cum dictatis sanæ rationis erui posse. Nostra methodus supponit divinitatem: igitur adhiberi ad illa non debet, ex quibus demum erui & demonstrari debet Scripturæ divinitas. Nos quidem ex aliis divinitatem fontibus deducimus, & divinitatem quoque aliam, quam quæ ab Spinoza innuitur.

Dicam enim hoc in transitu. Dum de divinitate Scripturæ loquitur, vocem esse Jacobi, & manum Esavi. Prophetiæ veniunt ab imaginatione prophetarum, & quando illis divinitas tribuitur, hic sensus est: „imaginationem Prophetarum, quantum per eam Dei decreta revelabantur, mentem Dei vocari posse, Prophetasque mentem Dei habuisse dici posse. Et quamvis menti etiam nostræ, mens Dei, ejusque æternæ sententiæ inscriptæ sint, & consequenter mentem etiam Dei (ut cum Scriptura loquatur) percipiamus; tamen quia cognitio naturalis omnibus communis sit, non tanti ab hominibus æstimari, & præcipue ab Hebræis, qui se supra omnes esse jactaverint, & consequenter scientiam omnibus communem contemnere soliti fuerint. Denique Prophetas Dei Spiritum habere dictos esse, quia homines causas Prophetiæ cognitionis ignorabant, eandemque admirabantur, & propterea, ut reliqua portenta, ipsam ad DEVM referre, Dei que cognitionem vocare solebant. v. Lib. cit. cap. I. p. 13. Quam hic tenuis tanti elogii sensus! Scriptura est divina, quia ejus scriptores fuerunt viri pii, vividaque imaginatione supra ordinariam hominum sortem prædicti, adeo ut Hebræi causas prophetiæ cognitionis ignoraverint, & mirati sint!



11. Tota itaque scripturæ cognitio ab ipsa sola peti debet. (p)

12. Denique scriptura rerum, de quibus loquitur, definitiones non tradit, ut nec etiam natura. Quare quemadmodum ex diversis naturæ actionibus definitiones rerum naturalium concludendæ sunt, eodem modo hæc ex diversis narrationibus, quæ de unaquaque re in scriptis occurrunt, sunt eliciendæ. (q)

13. Regula igitur universalis interpretandi scripturam est, nihil scripturæ tanquam ejus documentum tribuere, quod non ex ipsius historia quam maxime perfectum habeamus. Qualis autem ejus historia debeat esse, & quæ potissimum enarrare, hic jam dicendum.

12. Nempe I. continere debet naturam & proprietates linguæ, qua libri scripturæ scripti fuerunt, & quam eorum Authores loqui solebant. (r) Sic enim omnes sensus, quos una-

(p) Redit Conclusio, quam supra concessimus de historiarum & prophetiarum notitia: de explicatione limitavimus, v. § 8. Jam de documentis moralibus quid dicendum est? Fieri illorum in Scripturis mentionem, quæstio est historica: igitur ex ipsa & sola duci Scriptura debet. Quomodo autem intelligi ejus dicta debeant, potest ex Scriptura erui, potest aliquando etiam ex recta ratione; Saltim incommodi sensus plerique per ipsa rationis principia possunt excludi. Atque hoc discrimen est, quo ab Spinoza fecernimur, in hac thesi.

(q) Definitiones rerum, de quibus Scriptura loquitur, erui possunt, vel ex attentione ad res ipsas, sive naturales sive spirituales practicas, vel ex diversis, quæ de unaquaque re occurrunt, narrationibus, si veritatem rei & sensum verborum Scripturæ credas esse eadem. Id quidem nos facimus. Sin separe, solum hoc superest, ut ex narrationibus illas pluribus haurias: Necessè etiam est, ut cautelas, quas Spinoza memorat §. 29. quasque etiam his ipsis addere Systema Viri jubet, omnes probe observes, hoc est, ut præne nihil intelligas.

(r) Regula igitur universalis interpretandi Scripturam est, nihil



unaquæque oratio ex communi loquendi usu admittere potest, investigare poterimus - - (s)

15. II. Sententias unicujusque libri colligere debet, easque ad summa capita redigere, ut sic omnes, quæ de eadem re reperiuntur, in promptu habere possimus: Deinde eas omnes, quæ ambiguar vel obscuræ sunt, vel quæ invicem repugnare videntur, notare. (t)

16. Atque eas sententias hic obscuras aut claras voco, quarum sensus ex contextu orationis facile vel difficulter ratione percipitur. (u)

17. De

Scripturæ tanquam ejus documentum tribuere, quod vel ex ipsius historia, vel ex *supposita ejus divinitate vera, per legitimum principiorum rationis materialium & formalium applicationem*, quam maxime perspectum non habeamus.

- (s) Præceptum est utile, & nisi nimium extendas, necessarium. Habet Linguar Sanctar studium & applicatio limites suos, quos hic speciatim enarrare nihil attinet. Generaliter loquendo optandum esset, ut obtineri possent, quæ Spinoza postulat. Sed, quando unica tantum superest Scriptura S. Ebraice exarata, sperari non potest, quod ex illa omnes sensus, quos unaquæque oratio ex communi loquendi usu admittere potest, investigare unquam possimus.
- (t) Egregie vero, si non de singulis solum scripturæ libris, sed & de universis hæc dixeris. Expediit, colligi in unum quasi fasciculum, quidquid passim scribitur de argumento eodem aut simili. Expediit etiam, secernere claras ab ambiguis, vel in speciem contrariis. Nihil hic novi præcipitur. Nostri omnes & dicunt idem & faciunt. Differentia hæc est: quod Spinoza singulos seorsim Auctores excutit, Nostri & singulos secum conferant, & universos quoque. De illo quidem discrimine inferius dicam §. 29.
- (u) *Clarum* vel *obscurum* est, quod ad res discernendas in suo genere sufficit. Res in pictura sunt clare vel obscure expressæ, si imago picta sufficit ad discernenda, quæ differunt. *Sententia* verborum est complexus idearum, quæ cum Verbis memoratis conjunctæ sunt in mente loquentis. Igitur sententia



17. De solo enim sensu orationum, non autem de earum veritate laboramus. Quin immo apprime cavendum est, quamdiu sensum scripturæ quærimus, ne ratiocinio nostro, quatenus principiis naturalis cognitionis fundatum est, (ut jam taceam præjudicia) præoccupemur, sed ne verum sensum, cum rerum veritate confundamus, ille ex solo linguæ usu erit investigandus, vel ex ratiocinio, quod nullum aliud fundamentum agnoscit quam scripturam. (x)

18. Quæ omnia, ut clarius intelligantur, exemplo illustrabo: Hæc Mosis sententiæ, quod *DEVS sit ignis*, & quod *DEVS sit Zelotypus*, quam clarissimæ sunt, quamdiu ad solam verborum significationem attendimus: ideoque eas etiam inter claras repono, tamen respectu veritatis & rationis obscurissimæ sunt: immo quamvis earum litteralis sensus luminis naturali repugnet, nisi etiam principiis & fundamentis ex historia scripturæ petitis clare opponatur, is sensus, nempe

sententia clara sive clare expressa est, cum verba sic sufficiunt ad representandas ideas, ut, quæ in ideis differant, sub simili diversitate verbis exprimantur. Proprie igitur loquendo res non redit ad facilitatem aut difficultatem percipiendi sensum ex contextu orationis. Claritas sententiæ dicit relationem signi ad signatum, verborum ad ideas; non vero verborum ad auditores habitum. Sed vero hæc minoris momenti crisis est.

Illud observa: claritatem hic non attendi idearum; an illæ convenienter representent objecta? Sed claritatem attendi verborum; an illa debite representent ideas? Est hæc omnino diversitas memorabilis: atque cum de hermenevtica sermo est, potest sententia esse clarissime enunciata, quæ in sese est obscurissima. Sæpe opus est hac regula in scriptis humanis: Error in eo cubat, quod ad Scripturam Spinoza divinam ransfert.

(x) Habes apertam Viri confessionem. Præceptum est, quale dixi



pe literalis, erit tamen retinendus; Et contra, si hæ sententia ex literali earum interpretatione principiis ex scriptura petitis reperirentur repugnare, quanquam cum ratione maxime convenirent, aliter tamen (metaphorice scilicet) essent interpretanda. Ut itaque sciamus, an Moses crediderit, Deum esse ignem, an secus, nullo modo id concludendum est ex eo, quod hæ opinio cum ratione conveniat, aut quod ei repugnet; sed tantum ex aliis ipsius Mosis sententiis. Videlicet, quoniam Moses plurimis in locis clare etiam docet, Deum nullam habere similitudinem cum rebus visibilibus, quæ in cælis, in terra, aut in aqua sunt, hinc concludendum hanc sententiam, aut illas omnes metaphorice esse explicandas. At quia a literali sensu, quam minime fieri potest, est recedendum, ideo prius querendum, num hæ unica sententia, *DEUS est ignis*; alium, præter litteralem sensum admittat, hoc est, an nomen ignis aliud, quam naturalem ignem significet. Quod si non reperiat ex usu linguæ aliud significare, nullo etiam alio modo interpretanda esset hæ sententia, quantumvis rationi repugnans; sed contra, reliquæ omnes, quamvis rationi consentaneæ, huic tamen essent accommodandæ. Quod si nec hoc etiam ex usu linguæ posset fieri, tum hæ sententiæ irreconciliabiles essent, ac proinde de iis iudicium erit suspendendum. Sed quia

C

no-

dixi §. præcedenti: Verum in se: necessarium in humanis: alienum in scripturis divinis. Aristotelem veteres sic interpretati sunt, ut, si quid verum erat, aut pro tali habebatur, secundum illud verba Viri exponerent, in vitis subinde sermonibus ejus. Supponebant, nihil errasse Magistrum. Hoc necessum erat monere, aliud esse sensum orationis, aliud veritatem ejus; Neque enim omnia novisse Aristotelem. Solum esse Scriptorum omniscium, cui hoc eximium debeatur, ut sensus orationis ab illius veritate non discrepet: adeoque cognita undecunque alterutra parte, liceat ad alteram tuto concludere.



nomen ignis pro ira & Zelotypia etiam sumitur; (vid. Job. XXXI. 12.) hinc facile Mosis sententiæ reconciliantur, atque legitime concludimus, duas has sententias, *DEVS est ignis* & *DEVS est Zelotypus*, unam eandemque esse sententiam. Porro, quoniam Moses clare docet, DEVM esse Zelotypum, nec ullibi docet, DEVM carere passionibus, sive animi pathematis, hinc plane concludendum, Mosen hoc ipsum credidisse, aut saltem docere voluisse, quantumvis hanc sententiam rationi repugnare credamus. Nam, ut jam ostendimus, nobis non licet ad dictamina nostræ rationis, & ad nostras præconceptas opiniones mentem scripturæ torquere, sed tota Bibliorum cognitio ab iisdem folis est petenda. (y)

## 19. De-

- (y) Nolui hæc omnittere, etsi proluxa. Sic specimen vides interpretationis Spinozianæ. Clare Moses dicit: *DEus est ignis*. Igitur ignem credidit DEVM. Atqui hoc sanæ repugnat rationi! Nihil impedit. Sed Moses dicit, DEVM non esse similem rei cuiuscunque sub cælis! Videndum, an sententiæ conciliari possint? Cur illud fodes! An fieri non potest, ut Vir cetera bonus, sed imaginationis impetu latus, sibi contradicat? Esto tamen: concilia, si potes, hæc dicta. Videndum est, utrum sæpius occurrat, & ex illo alterum intelligi, si lingua ferat; si minus, suspendi iudicium debet. Scilicet, si utrumque occurrat æquali numero, & linguæ genius utriusque expositionem ferat; tum nihil decidi potest, aut casu feremur. Ego numerum nego dicere. Sæpius in S. Scriptura manus DEO, & aures, & oculi, & brachia, & pedes &c. tribuuntur, quam dicitur, eum esse Spiritum, nec similem rei cuiuscunque sub cælis. Eligo posterius tamen, & ex illo priora expono. Sane, si ex numero iudicandum, credidit & Moses, DEVM esse homini similem. Neque adeo Mosis sententiam Spinoza attingit. Sed tamen non credit, ignem esse. Quid ita? Fert enim linguæ genius, ut hanc potius vocem metaphorice interpretemur. Videamus, si pla-



19. Denique enarrare debet hæc historia casus omnium librorum Prophetarum, quorum memoria apud nos est: Videlicet (1) vitam, mores ac studia Authoris uniusque libri: Quisnam fuerit, qua occasione, quo tempore, cui, & denique qua lingua scripserit; (2)

C 2

20. De-

si placet „ Quia nomen ignis pro *ira* & *Zelotypia* etiam sumitur, (vid. Job. XXXI. 12.) hinc facile Mosis sententiæ reconciliantur, atque legitime concludimus, duas has sententiæ *DEVS est ignis, & DEVS est Zelotypus* unam eandemque esse sententiam. - - - Quæso Te, quam Tibi dissimilis es hac vice. 1.) Negas ex uno Propheta explicari debere alterum, nisi evidentissime constet, eos unam eandemque fovisse sententiam. v. §. 29. Nego igitur & ego, genium linguæ ex uno scriptore sumi, & transferri ad alterum debere, nisi evidentissime constet, eundem illis idiotismum fuisse, non varium vel ob temporis, vel ingenii, vel cuiuscunque alterius causæ diversitatem. 2.) Non vis adherere literalis ignis sensui, cum quaeritur, An Moses DEVM pro igne habuerit: Cur illud? quia alias credere debere, Jobum supposuisse verum ignem in corde hominis Zelotypi; quasi scilicet hoc majus absurdum esset, tribuere Jobo errorem istum physicum, quam Mosis ignorantiam DEI crassissimam. 3.) Igitur si Jobus flammulam vitalem, quam nonnulli vocant, in corde hominum credidisset, eandemque in Zelotypo augeri nimium supposuisset; dicam simplicius, si Job. XXXI. 12. in Scriptura non extaret: salvaris [Moses non posset, quin vel DEVM ignem putaret, vel saltem non liqueret, quid crediderit? Quorsum devolvimur!

(2) Admitto multa esse loca, quibus per istiusmodi notitiam non parum luminis accedat; Sed nego, esse omnia ejusmodi, ut sine hac historia nescias distinguere, an Scriptum Sacrum, an politicum, an Romanensem fabulam legas. Miror, delabi Virum eousque, ut dicat: „ Sæpissime contin-

„git,



20. Deinde (2) uniuscujusque libri fortunam: nempe, quomodo prius acceptus fuerit, & in quorum manus incidere, deinde,

git, ut consimiles historias in diversis libris legamus, de quibus longe diversum iudicium facimus, pro diversitate scilicet opinionum, quas de Scriptoribus habemus. Scio, me olim in libro quodam legisse, virum, cui nomen erat Orlandus furiosus, monstrum quoddam alatum in aere agitare solere, & quascunque volebat regiones supervolare, ingentem numerum hominum, & gigantum solum trucidare, & alia huiusmodi phantasmata, quæ ratione intellectus plane imperceptibilia sunt. Huic autem consimilem historiam in Ovidio de Perseo Iegeram, & aliam in libris Iudicum & Regum de Samfone (qui solus & inermis milia hominum trucidavit) & de Elia, qui per aera volitabat & tandem igneis equis & curru cælum petiit. Hæc, inquam, consimiles plane historiae sunt, attamen longe dissimile iudicium de unaquaque facimus: nempe primum non nisi nugas scribere voluisse; secundum autem res potiticas: tertium denique sacras: Hocque nulla de alia causa nobis persuademus, quam propter opiniones, quas de earum scriptoribus habemus. Constat itaque notitiam Authorum, qui res obscuras aut intellectu imperceptibiles scripserunt, apprime necessariam, si eorum scripta interpretari volumus. Equidem scopus scriptorum non ex sola vitæ illorum historia transluet, sed ex scripto potius ipso intelligitur. Atque ut de scopo scriptorum, quos memorat, non constet, ex ipsa factorum serie res facile discerni potest. In *Orlandinis* narrationibus facta recensentur enormia, & derivantur a causis nihil minus quam factis sufficientibus: Eademque omnia obtinent in *Ovidianis* fabulis. Igitur somnia hæc, non facta esse, illico apparet. In *Sacris* causam videas allegari, quæ sufficiat. Spiritus Domini in Samsonem illapsus.

Quid igitur? Arguit Spinoza: sine quo scopus Authorum non potest cognosci, sine illo non potest mens dictorum intelligi. At sine historia Authorum non potest scopus eorundem cognosci. Igitur sine illa non potest intelligi sententia dictorum. Ego & majorem nego & minorem.



deinde, quot ejus varia lectiones fuerint, & quorum concilio inter sacros acceptus fuerit; Et denique, quomodo omnes libri, quos omnes jam sacros esse fatentur, in unum corpus coaluerint? (aa)

21. Jam, postquam hanc historiam habuerimus, & firmiter decreverimus, nihil tanquam doctrinam Prophetarum certo statuere, quod ex hac historia (bb) non sequatur, aut quam clarissime eliciatur, tum tempus erit, ut ad mentem Prophetarum & Spiritus Sancti (cc) investigandam nos

C 3

accin-

(aa) Historiam Librorum Sacrorum, Canonis quoque, non diffiteor aliquando *utilem* esse: Quod *necessaria* sit ad intelligendas sententias scriptorum singulas, & omnes quidem, id nec ego demonstrare, neque ex Spinoza possum perficere. Equidem ut distinguas, quid Legis vim habeat, quid rationem documenti moralis? Quid præcepti æterni locum, aut temporarii? Id utique ex ipsis dictorum circumstantiis, ex ipsa S. scripturæ narratione potius, quam externa quavis historia discas authenticæ. Porro etiam, ut scias, in quas manus hi libri inciderint? Integri sint an corrupti? A quibus admitti in Canonem? & similia, ea sane omnia non tam ad interpretationem pertinent, quam ad auctoritatem dictorum.

(bb) Dicamus potius: Quod e textu scripturæ, secundum regulas hermeneuticæ non sequatur - Regularum scil. hermeneuticarum notitiam vellem præmitterent Lectores, qui omnia scripturæ dicta gestiunt intelligere. Latius illæ patent, quam ab Spinoza hic exponuntur. Vide, si placet, Hermeneuticam Viri Præstantis, JO. CONR. DANNHAWERI, qui decem omnino fontes interpretationum aperit, scientias præliminares, cognitionem terminorum, considerationem scopi, historiam coævam, notitiam de ingenio scriptoris, analogiam, crisin, scrutinium antecedentium & consequentium, ordinem, & deductionem ad absurdum.

(cc) An hæc per *appositionem* dicta sunt? an per *oppositionem*? Primo quidem sensu debuissent dici: secundo dicta sunt. Vide inf. §. 31. Fateor autem, me non omnino nosse, quid Spinozæ dicatur mens Spiritus Sancti? Spiritus, quo Prophe-

pæ-



accingamus. Sed ad hoc etiam methodus & ordo requiritur similis ei, quod ad interpretationem naturæ ex ipsius historia utimur.

22. Sicuti enim in scrutandis rebus naturalibus ante omnia investigare conamur res maxime universales & toti naturæ communes, videlicet modum & quietem, eorumque leges & regulas, quas natura semper observat, & per quas continuo agit, & ex his gradatim ad alia minus universalia procedimus: (dd)

23. Sic etiam ex historia scripturæ id primum quærendum, quod universalissimum, quodque totius scripturæ basis & fundamentum est, & quod denique in ipsa tanquam aeterna & omnibus mortalibus utilissima doctrina a Prophetis commendatur. (ee)

## 24. Ex-

phetæ ferebantur, erat eorundem imaginatio. Sed sententia imaginationis est sententia Prophetæ. Allegato §. 31, distinguitur mens prophetarum & historicorum a mente Spiritus S. & rei veritate. Sed an etiam mens Spiritus S. & veritas rerum a se invicem distinguuntur? Videtur ex §. 25, pro mente Spiritus S. habendum esse id, circa quod Prophetæ se cum conveniant: Sed videtur solum, quoniam proposito ejusmodi negativa non semper converti potest in affirmativam quoque. Non utique sequitur: In quo Prophetæ non conveniunt, id non est habendum pro mente Spiritus S; Igitur in quo conveniunt, illud pro tali habendum est. Nescimus adeo, quid proprie illud sit, quod hoc loco dictum voluit, nisi forte palpum fuit; quod in tanta sententiarum ceterarum singularitate & dicendi licentia vix crediderim.

(dd) Supra dixi, me abstrahere animum ab hac comparatione: ceterum hæc non est methodus interpretandi naturam.

(ee) Recte illud vero; curandum est, ut ante omnia & super omnia scias & teneas id, quod Scripturæ basis est, & fundamentum: utque non ad rem solum illam, sed & ad momentum ejus probe attendas. Duo autem sunt scopuli, in quos



24. Exempli gratia, quod DEVS unicus & omnipotens existit, qui solus est adorandus, & qui omnes curat, eosque supra omnes diligit, qui ipsum adorant, & proximum tanquam semet ipsos amant, &c. Hæc & similia, inquam, scriptura ubique tam clare, tamque expresse docet, ut nullus unquam fuerit, qui de ejus sensu circa hæc ambegerit.

25. Quid autem DEVS sit & qua ratione res omnes videat, iisque provideat, hæc & similia scriptura ex professo, & tanquam æternam doctrinam non docet: Sed contra Prophetas ipsos circa hæc non convenisse jam supra ostendimus: adeoque de similibus nihil tanquam doctrina Spiritus Sancti statuendum, tametsi lumine naturali optime determinari possit. (ff)

26. Hac

quos utrinque incauti illiduntur. Alteri nimis multa obtrudunt: recte igitur heic inculces rerum discrimina, etiam verissimarum. Alteri nimium utique tollunt, & sub momenti majoris minorisve prætextu auferunt, quibus carere fides non potest: His momenta ingeras rerum, quas negligunt. Dantur utriusque classis criteria, quæ tamen hic enarrare ex instituto non convenit. Sequimur & examinamus Spinozæ sententias.

(ff) Dicam breviter: Attributa DEI, quæ cultus fundamenta sunt, credere quidem oportet: scire illa non opus est. Dedit Scriptura thesin, explicationem philosophicam non dedit. Potest illa naturali lumine determinari: sed hoc non infert, revelatam esse in Scripturis.

Si nihil aliud Spinoza vellet præter memorata, posset sine censura exemplum hoc dimitti. Verum est, Scripturam ex instituto thesin inculcare: explicationes rarius & non nisi in transitu interferere. Potest etiam sufficere ad cultum DEI, si thesin serio apprehendas, etsi modos rerum non simul comprehendas.

Dissentisse autem Prophetas circa omniscientiæ, providentiæque & ceterarum DEI actionum rationes: id dici potest, quam pro-



26. Hac igitur universali scripturæ doctrina probe cognita procedendum deinde est ad alia minus universalia, & quæ tamen communem usum vitæ spectant; quæque ex hac universali doctrina tanquam rivuli derivantur: uti sunt omnes

probari, facilius. Hoc feram, gradus fuisse cognitionis. Sanctosque Viros ut homines, alteros magis, alteros minus clare, distincte, plene ista cognovisse: Verum dissensisse nego, dum probaveris.

Probavi *supra*, inquis. Ita ne vero? Tu quidem ais: ego nego: Putas, exempli gratia (exemplis enim solis probare niteris) „Abrahamum ignorasse, quod DEVS sit ubique, resque omnes præcognoscat, adeoque rogasse DEVM, ut ne exequatur sententiam in Sodomitas, antequam sciret, num omnes illo supplicio digni sint; dicere enim Gen. XII. 24. „Forte reperiuntur quinquaginta justi in illa Civitate. „Ostendunt ista ignoratum Abrahamo numerum, non Deo. Addis: „nec DEVM ipsi aliter revelatum fuisse; sic enim in Abrahami „imaginatione loqui: nunc descendam, ut videam, num juxta summam querelam, quæ ad me venit, fecerunt: sin autem minus, sciam. „v. Cap. II. p. 24. Unde isthæc difficultas? Scilicet ex eo, quod colloquium Angeli, qui Dominus dicitur, & Abrahamo apparuit, transformas in phantasma, & DEVM in imaginatione loquentem facis.

Similiter de Jona dici, „quod conspectum DEI fugere putaverit, id quod ostendat, eum credidisse, quod curam ceterarum regionum extra Judæam aliis potentis, a se tamen sublitis, tradiderit. „Ego phrasin Prophetæ fugere a facie DEI neque per fugam absentia DEI, neque ab ipsius providentia interpretor: quid ergo? per fugam loci, quo DEVS ipsi apparuit, & per transitum in locum, ex quo id mandatum exequi non amplius posset. Si trans mare navigaverit, non potest ipsi DEVS injungere, ut Niniven eat. Fugit Jonas, non ut sit extra Spæram curæ divinæ, sed extra sphæram præcepti, quod acceperat, definiti. Voluit esse, unde non posset mitti Niniven. Hæc inobedientia est, sed circa intellectus vitium. Suffecerint ista vero pro specimine.



omnes veræ virtutis actiones particulares externæ, quæ nonnisi data occasione exerceri possunt. (gg)

27. Et, quidquid circa hæc obscurum sive ambiguum in scriptis reperitur, ex doctrina Scripturæ universali explicandum & determinandum est: Si quæ autem invicem contraria reperiuntur, videndum, qua occasione, quo tempore, vel cui scripta fuerint. (hh)

28. Reliqua, quæ in scriptis occurrunt, quæque solius sunt speculationis, non tam facile (ii) indagari possunt; via enim ad hæc angustior est.

29. Nam quandoquidem in rebus speculativis Prophe-

D

ta

(gg) Hoc bene est: ex universalibus doctrinis possunt minus universales & particulares res explicari; si supponas, constare sibi Scriptores. Hoc nondum supposuit Spinoza, immo negavit plane, sed de rebus speculativis. Cum de practicis agitur, facit illos consentire: nam etiam per hæc habent Spiritum DEI, „quod virtutem singularem & supra communem habeant, quodque pietatem eximia animi constantia colant.“ v. cap. I. p. 13. Quæso autem: si ex practicis universalibus exponere particularia licet: cur ex propositionibus theoreticis universalibus non etiam explicare particulares licet, saltem faciliores & propinque connexas? Non fuerint subtiles metaphysici: Dabo. Sed neque Moralistæ fuerunt systematici. Cur igitur practica eorum satis coherent, ut particularia ex universalibus deriventur tanquam rivuli, dum in theoreticis partium solidi est, & pæne nihil coheret?

(hh) Egregie ista, si extendas ad omnia. Omnia inquam, ratione classium, in quas contenta Scripturæ distribuis, quod modo dixi, sed & ratione personarum. Nolim enim hic silentio transmittere, quod exempla per Spinozam hic producta Christus, Mosem & Jeremiam conferant. Secus atque in theoreticis præcipit. §. 29.

(ii) Edo: non tam facile indagari possint: Modo possint eadem via. Sed utrumque mox negas. Dicis, quod alia possint. Eam talem præstas, ut excludat partem Scripturæ maximam: de qua adeo desperare jubes §. 6. & 26. Tristis conclusio! Videamus, qua ad illam via deducaris?



tæ inter se diffentiebant, & rerum narrationes maxime accommodatæ sunt uniuscujusque avi præjudiciis; Minime nobis licet, mentem unius Prophetæ ex locis clarioribus alterius concludere, neque explicare, nisi evidentissime constet, eos unam eandemque fovisse sententiam. (kk)

30. Quomodo igitur mens Prophetarum in similibus sit ex historia Scripturæ eruenda, paucis jam exponam. Nempe circa hæc etiam a maxime universalibus incipiendum, inquirendo scilicet ante omnia ex sententiis scripturæ maxime claris, quid sit Prophetia sive Revelatio, & in qua re potissimum consistat. Deinde ad opinionem uniuscujusque Prophetæ descendendum Et ex his tandem ad sensum uniuscujusque revelationis, sive Prophetiæ, historiæ & miraculi procedendum (ll)

31. Qua

(kk) Prophetæ diffentunt in speculativis: historiæ sapiunt avi præjudicia: Igitur non licet explicare unum ex alio locum, nisi jam tum constet, utrumque scriptorum sensisse eadem.

Prophetas diffentire nego: nego historias uniuscujusque avi præjudiciis sic accommodatas esse, ut sensus verborum literalis sit falsus. Neque id convincant exempla per Spinozam allegata. Locutiones, quas p. 22. allegat, non sunt falsæ, sed generales & respectivæ Josue X. 12. 14. optivæ & metonymicæ. Es. XXXIX. 8. rotundæ & relativæ. 1. Reg. VII. 23. non definitæ modo & absolutæ; non physicæ; non scrupulosæ & scriptori propriæ.

(ll) Nolim reprehendere hunc ordinem, si eodem uti velis. Systematica tamen priorum articulorum notitia non est necessaria: Sufficiet simplicior quoque, sed vera tamen. Illud cum grano salis accipe, cum dicitur: „Dehinc ad opiniones uniuscujusque Prophetæ descendendum.“ Immo sic corrige: Dehinc ad vocationem specialem cujusque Prophetæ, ejusdemque scopum & circumstantias particulares descendendum. Ita scilicet a generalibus per specialia descendes ad individualia, prophetias, historias & miracula uniuscujusque Prophetæ singularia.

Deest præcipuum tamen: comparatio prophetiarum (sive ejusdem Prophetæ, seu plurium) tum inter se, tum etiam cum eventu,



31. Qua autem cautione utendum sit, ne in his mentem Prophetarum & Historicorum cum mente Spiritus Sancti, & rei veritate confundamus: supra suis in locis multis exemplis ostendimus; Quare de his non necesse habeo prolixius agere. (mm)

32. Hoc tamen circa sensum Revelationum notandum, quod hæc methodus tantum investigare docet id, quod revera Prophetæ viderint aut audiverint; Non autem, quid illis hieroglyphicis significare aut representare voluerint; Hoc enim hariolari possumus, non autem ex scripturæ fundamentis certo deducere. (nn)

D 2

33. Osten-

denique cum applicationibus aut allegationibus suis in V. aut N. Testamento scriptis. Id nisi addideris, desperare Te de quam plurimis Spinoza jubebit. v. §. 36.

(mm) Vide supra §. 21. & quæ ibidem annotavimus sub lit. (cc)

(nn) Scilicet ne nimium intelligas Scripturam, etiam hoc Tibi eripiendum erat. Aliud est, nosse, quid viderit Propheta vel audiverit? Aliud est, nosse, quid hoc sibi velit? Primum fortassis assequi aliquando licet: secundum ex Scripturæ fundamentis deducere certo non possumus. Quid ergo? id hariolari possumus.

Dic mihi, quid est prophetias reddere inutiles, si hoc non est? Laboravi multum, & penetravi tandem eousque, ut norim, quid propheta viderit & audiverit? Sed quid sub hisce hieroglyphicis significetur, id nondum teneo: neque possum obtinere; possum hariolari solum. Absit vero hæc pauperies notitiæ! Si pauca diceres esse, quæ ante eventum satis desipite cognosci non possent: faterer illud, & adderem, hoc non obflare scopo prophetiarum; quo etiam illud continetur, ut ipso eventus unius tempore Prophetarum authoritas firmetur pro altera illa eventuum serie, quæ nondum est ad liquidum deducta. Sed quod generaliter ista enuncies, hoc ferri non potest. An forte hoc unum postulas: non posse nos omnia illa certo cognoscere, quæ hieroglyphicis istis præfigurata sunt? Dabo manus. Si nihil eorum putes certo intelligi: repugnet iterum. Quid respondes ad ea loca, quibus in N. T. applicata sunt ejusmodi hieroglyphica Veteris? An etiam has præfigurationes nostro hoc tempore certo scire non possumus, &



33. Ostendimus itaque rationem interpretandi scripturam, & simul demonstravimus, hanc unicam & certio- rem esse viam ad ejus verum sensum investigandum. (oo)

34. Fateor quidem, eos de eodem certiores esse, si qui sunt, qui certam ejus traditionem sive veram explicatio- nem ab ipsis Prophetis acceptam habent, ut Pharisei au- tumant: vel, si qui Pontificem habent, qui circa interpre- tationem scripturæ errare non potest, quod Catholici Roma- ni jactant, (pp)

35. Alta-

hariolari solum tenemur. Si Tibi tanta non est Novi Fœde- ris Authoritas, ut sententiam illi Tuam accomodes: ac- commodabunt Lectores mei.

(oo) Viam dicis veram, unicam, & certio- rem. Est vera in qui- busdam locis, maxime si abstrahas ab imputatione errorum in prophetias influentium. Sed non est sufficiens: igitur nec uni- ca. Certa est in universalibus, itemque in practiis ad com- muniem vitæ usum pertinentibus: in speculativis ipse illi de- trahis ultra, quam necesse est.

Accipe in summa, quid addi oporteat; 1.) Conferatur sibi omnis Scriptura, & sensus, qui omnia conciliat, eligatur præ alte- ro. 2.) In rebus mixtis formulæ loquendi improprie conferan- tur ad rei veritatem aliunde cognitam, etiam ex ratione. 3.) In practiis spiritualibus addatur prioribus interpretandi fontibus experientia spiritualis. *Verbo:* Cudantur in Logicis regulæ interpretandi scripta Authorum ex idea scientiæ & sa- pientiæ Authoris perfectissimæ. Atque illæ ad Scripturam Sacram transferantur.

(pp) *Traditio* est historia, historia scilicet sensus Scripturæ. Atque hoc mo- do commentarii ingrediuntur Systema Spinozæ: Ex illis scilicet, tra- ditio intelligitur sensuum scripturæ. *Authoritatem* intelligo no- vum plane fontem esse. Posset addi inspiratio aut *revelatio nova* sensuum scripturæ antiquæ: Sed illa non pertinet ad Spino- zam, quo Propheta sequior priorem nec specialiter intelli- git, nec tuto explicat: Nisi eodem fortassis genere & impetu imaginationis gaudeat & feratur; quod nec sciri facile potest, nec, si sciatur, illationem illam vere tutam præstat.



35. Attamen quandoquidem nec de hac traditione, nec de Pontificis autoritate possumus esse certi: Nihil etiam certi super his fundare possumus. - - (qq)

36. Cum itaque hæc nostra methodus (quæ in eo fundatur, ut cognitio scripturæ ab eadem sola (rr) petatur) unica & vera sit, quidquid ipsa præstare non poterit ad integram scripturæ cognitionem acquirendam, de eo plane desperandum.

37. Quid autem ipsa difficultatis habeat - - hic jam dicendum. Magna imprimis in hac methodo oritur difficultas ex eo, quod linguæ Ebraicæ integram cognitionem exigit. At hæc, unde petenda? - - - Oritur in hac methodo difficultas ex eo, quod ipsa historiam casuum omnium librorum Scripturæ exigit, cuius maximam partem ignoramus. - - (ss)

38. Verum enim vero iterum contra notandum venit has omnes difficultates impedire tantum posse, quo minus mentem Prophetarum assequamur circa res imperceptibiles, & quas tantum imaginari, at non circa res, quas & intellectu assequi, & quarum clarum possumus facile formare conceptum. - - Adeoque concludimus, nos mentem Scripturæ circa documenta moralia ex ipsius, quam habere possumus

D 3

mus

(qq) Disputat hoc loco adversus auctoritatem Pontificis Rom., non plane, ut solent alii. Quo robore, non dicam, alieno loco, & exclusus spatio.

(rr) Sæpe recurrit eadem formula, & speciosa sane. Dicamus igitur: cognitionem Scripturæ in *spiritualibus* ab eadem sola peti: namque & experientia spiritualis, quam modo allegavi ad §. 33. Scripturæ subsidio generatur Rom. X. 17. In Articulis *mixtis* ex sola Scriptura novimus, quod de illis loquatur: quo sensu verba accipi debent, aliquando etiam ex natura rei & ratione deducimus.

(ss) Quæ sint in hac methodo difficultates, fufe Spinoza persequitur. Ego nihil illis afficior: Quoniam neque approbo methodum ut unicam; Neque improbo ut difficilem, sed ut minus universalem limito, & ut parum sufficientem suppleo.



mus, historia, (tt) facile posse assequi, & de vero ejus sensu esse certos.

39. Et quia vera salus & beatitudo in vera animi acquiescentia consistit, & nos in iis tantum vere acquiescimus, quæ clarissime intelligimus: hinc evidentissime sequitur, nos mentem scripturæ circa res salutare & ad beatitudinem necessarias certo posse assequi. (uu)

40. Qua-

(tt) Hic fallaciam causæ non causæ Spinoza committit. Possumus assequi sensum Scripturæ circa res morales; & assequi ex ipsius historia, qualem habemus: quoniam illas intellectu assequi possumus. Sic ille: Ego contra. Quoniam circa illas tantum res, quas intellectu assequi possumus, sensum quoque Scripturæ assequimur: Igitur non tam ex historia ejus assequimur, quam ex conjuncta illi rationis opera, eaque non tantum *formali*, quam ubique concedit, sed etiam *materiali*. Dic, quare facilius assequor sensum documentorum moralium? quia consequentias de illisnectere possum facilius & liberalius. Cur istud possum? quoniam subsidiarias consequentiarum propositiones animo teneo, & suppono, non contradicere illis, quæ scripta sunt. Atqui hæc omnis illa opera est, quam ratio præstat, in speculativis quoque. Suppeditat propositiones transcendentes subsidiarias, & per illas jubet evitare contradictiones.

(uu) Hic nihil accurati est in præmissis: Conclusio tamen est verissima. Dicis: veram salutem consistere in vera animi acquiescentia: Ego vel consequens vel complementum veræ salutis existimo acquiescentiam. Salutem ipsam quæro in statu hominis, quo possit acquiescere. Tum, de quam acquiescentia loqueris? An de theoretica illa, quando animus non ultra sollicitus est in rerum investigatione, sed acquiescit in eo, quod clare intelligit. Si hoc est: Cur acquiescentiam in bono negligis, & solam in vero acquiescentiam proponis? Annon ipse alibi tria honesti desiderii *objecta* recenset: „nempe res per primas suas causas intelligere: passiones domare, & live virtutis habitum acquirere: & denique secure & sano corpore vivere. vid. Cap. III. p. 32. Cur igitur hic de ea sola acquiescentia loqueris, quæ ex clare intellectis gignitur? Præterea,

fi



40. Quare non est cur de reliquis simus adeo solliciti: Reliqua enim, quandoquidem ea ut plurimum ratione & intellectu complecti non possumus; plus curiositatis quam utilitatis habent. (xx)

41. His existimo, me veram methodum Scripturam interpretandi ostendisse, meamque de eadem sententiam satis explicasse. Præterea non dubito, quin unusquisque jam videat, hanc methodum nullum lumen præter ipsum naturale exigere. Hujus enim luminis natura & virtus in hoc potissimum consistit, quod res scilicet obscuras ex notis, aut

si utrumque ex vero dixisses: quæ ex illo consequentia est. Ergo mentem Scripturæ circa res salutare certo possumus assequi. Convertite argumentum tuum in terminos æquipollentes, & expende, quæ sit futura series propositionum, qui nexus! Si hoc diceretis: Præctica Scripturæ documenta possumus clare intelligere; §. 26. In clare intellectis acquiescimus; in acquiescentia salus consistit & beatitudo; Igitur per præctica scripturæ documenta pervenimus ad salutem; Intercederet nexui quidem duplex acquiescentiæ sensus; sed ordo sibi constaret. Iterum: si diceretis; Præctica Scripturæ documenta omnem exhibent mentem ejus circa res salutare & ad beatitudinem necessarias. Præctica Scripturæ documenta omnia clare intelligimus. Igitur mentem scripturæ circa res salutare clare intelligimus. Recte ex præmissis conclusio fluere. Sola minor esset ambigua: Tibi quidem de moralibus, & ad communem vitam usum pertinentibus, documentis intellecta. v. §. 38. & - - - Mihi de ordine salutis per fidem in Christo; quem eoque certo cognoscimus, quo necessarius est ad beatitudinem.

(xx) Nego vero hanc consequentiam: Quia necessarium non est, nec ratione aut intellectu comprehendi potest; igitur plus curiositatis quam utilitatis habet. Quod necessarium non est singulis, potest esse cœteri: Quod non est uni auctori, potest esse alteri. Tum &, quod necessarium non est, potest esse utile. Quod ratione & intellectu non potest comprehendi, potest apprehendi fide. Quid multa? Distinguanus utique rerum classes per momenta sua; applicemus ad illa animum pro momentorum ordine; negligamus nihil.



tanquam notis datis, legitimis consequentiis deducat atque concludat; nec aliud est, quod hæc nostra methodus exigit. (yy)

42. Et, quamvis concedamus, eandem non sufficere ad omnia, quæ in Bibliis occurrunt, certo investigandum; id tamen non ex ipsius defectu oritur, sed ex eo, quod via, quam veram & rectam esse docet, nunquam fuerit culta, nec ab hominibus trita, adeoque successu temporis admodum ardua, & fere invia facta sit; ut ex ipsis difficultatibus, quas retuli, clarissime constare puto. (zz)

(yy) Ita est vero, hæc methodus præter historiam & naturale lumen nihil exigit; neque hoc totum adhibet; Sed neque rem, quam deberet, omnem præstat. Num id laudis sit in hac methodo, an ignominie potius, id vero intelligas ex eo, quod alia occasione prolixius docebimus.

(zz) Dixi supra, me nihil obijcere ex capite difficultatis methodi; igitur neque excusationes curo hujus paragraphi,

### EPILOGVS.

Jubet chartæ angustia, & temporis, ut in hac brevi expositione subsistam. Addit Spinoza examen sententiarum a sua discrepantium. Id alteri Dissertationi reservo: Sunt enim, quæ dici circa illud argumentum merentur.

Nunc unum addo. Non utique Scripturis convenit *divinis* Spinoziana methodus: Convenit autem humanis. Pulsat *Sanctorum* fores, & videat, an illis approbare hæc sacra legum Volumina explicandi methodum possit; Mutet vocabula tamen, & loco imaginationis, cui Prophetias putat accommodatas esse, Philosophiam loquatur, cui suas antiqui decisiones aptarunt. Cetera fortassis pleraque admittent. Fecerint autem, nec ne; Caverit sibi, ne repulsam passus redeat ad Theologorum choros; non patimur divinas ad istam methodum paginas exigi.



00 A 6398

ULB Halle  
002 916 606

3



Sb.









Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

*QVOD DEVS BENE VERTAT.*

RECTORE VNIVERSITATIS  
TVBINGENSIS  
*MAGNIFICENTISSIMO,*  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO  
**CAROLO CHRISTIANO**  
**ERDMANNO,**  
DVCE WIRTEMBERGIÆ, TECCIÆ, OELSNÆ  
ET BERNSTADII, CET.

IN  
BENEDICTI SPINOSÆ  
**METHODVM EXPLICANDI**  
**SCRIPTVRAS SACRAS**  
BREVI BVS NOTIS  
ANIMADVERTIT

COMMENTATIONEM QVE ISTAM  
DIE XXIII. SEPT. A. MDCCXXXII. H. L. Q. C.

AD  
DISPVTANDVM PROPOSVIT  
**GEORGIVS BERNH. BILFINGER**  
SS. THEOL. PROF. ORD.

RESPONDENTE  
**PAVLO PINTZGER, CASSOVIO HVNGARO,**  
SS. THEOL. CVLTORE.

REC VSA  
JENÆ, LITTERIS BVCHIANIS.  
M DCC XXXIX.